UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 61. Inausta Anglorum expeditio adversus Ludovicum Franciæ Regem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67369

Visual Library

ſponderunt, quod cum ceteris Regni Proteſtantibus, quibuscum fœderis ſocietate juncti eſſent, ac præcipue cum Rohanæo Duce prius deſuper deliberare vellent: Verum Rohanæus mox unacum aliis Calvinianæ ſectæ ſociis ſeſe Anglicæ claſſi conjunxerat, eandem cum Anglis adverſus legitimum ſuum Franciæ Regem fortunam tentaturus. Sæc. XVII. A.C. 1627.

§. LXI.

Infauſta Anglorum expeditio adverſus Ludovicum Franciæ Regem.

Haud diu ab armis utrinque hoſtilibus feriatum eſt, Anglis recta in Inſulam Ream ſeu Cracinam moventibus, quo etiam die vigeſima Menſis Julii appulſi ſunt. Viciſſim vero Ludovicus XIII. Franciæ Rex Menſe Auguſto validum in Anglos eduxit exercitum, cui Toyraſſium multis jam victoriis clarum præfecit: Proſpera erant Anglis belli primordia, atque expectatione felicior in Inſulam exſcenſio; cum enim forte ſub illud ipſum primæ noctis punctum, ſtatis lunæ converſionibus, concitaretur Oceanus, altiore curſu confluentibus undis maritimum litus proxime acceſſerat Sammartinianæ arci, quam præter Pratenſe caſtellum Franciæ Rex ad defenſionem Cracinæ In- *Monet. Capt. Rupel. Gramond. l. c.*

Sæc. XVII.
A. C. 1627.

ſulæ ante biennium ſat provide extrui curabat. Angli igitur hujus æſtuarii beneficio, pelagique vicinia freti, utramque arcem navibus cingunt, exploſisque mille tormentis bellicis univerſam Inſulæ oram infeſtant, non ſine ingenti ſtrage repulſis copiis, quas Toyraſſius exſcenſionem præpediturus oppoſuerat. Hæc Gallorum clades Martinianæ arcis præſidiarios tanta oppreſſerat conſternatione, ut ſi Buchinghamus recta in arcem cum victrici agmine penetraſſet, absdubio arcis deditio ſecuta fuiſſet. Verum temporis mora convaluit Gallorum virtus; conſtructis enim in hoſtium conſpectu novis munimentis, reparatisque veteribus, Toyraſſius reſumptis viribus cum valido Equitum agmine in Britannos effuſis habenis invehitur, primoque impetu eos in fugam converſos potiſſimam partem in mare protrudit: deficientibus tamen ſubſidiariis peditum legionibus, quæ Equitatum tegerent, reſtaurata pugna Galli Equites retrocedere compulſi ſunt, cæſis ex prima Nobilitate non paucis. Britannis tamen, etſi penes ipſos ſteterit victoria, longe magis luctuoſa cecidit hujus prælii alea, deſideratis amplius quingentis gregariis militibus, atque octodecim ex principibus belli Præfectis ac Nobilibus.

§. LXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN